

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .

Das PDF wurde erstellt am: 09.08.2025, 00:39 Uhr.

Plutarchus

**LIBELLVS PLV=||TARCHI || PERI POLYPHILIAS, IN || QVO MVLT A ERVDITISSIME
DISPV=||tantur de amicicia, lectu dignissimus, translatus || in latinam linguam || A
|| IOHANNE CHESSELIO || Gottingensi, Poëta Laureato.||**


Vitebergæ: Excudebat Iohannes Crato, Anno. M.D.LIX. Mense Augusto.

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1896771742>

Druck Freier  Zugang








1749-50

Cc. 8412.



LIBELLVS PLV.
TARCHI ΠΕΡΙ ΠΟΛΥΦΙΛΙΑΣ, IN
QVO MVLTÀ ERVDITISSIME DISPV.
tantur de amicicia, lectur dignissimus, translatus
in latinam linguam

A
IOHANNE CHESSELIO
Gottingensi, Poëta Laureato.


VITEBERGÆ.
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO. M. D. LIX.

Mense Augusto.

LIBELLVS PLV
TARCHI NEVI BOVYIAVS IN
OVO NVITA ERVDITIVM DISCV
tante de amictu lectu dignitatis, translatio
in latinam linguam

A
IOHANNES CHESSBIO
Göttingen, Post-Licentiat



VIRBRGE
EXCVBERAT IOHANNIBVS
GRATO
ANNO M.D.CX
Kamte Angulle

AMPLISSIMIS ET CLARIS
SIMILIS VIRIS, VIRTUTE, PIETATE ET
prudētia præstantibus, Consulibus & Senatoribus inclytæ
Reipublicæ Gottingensis, patronis suis plurimum colen-
dis. S. P. D.

ETSI, clarissimi prudentissimicq; uiri, neq; æta-
tis neq; sapientiæ meæ est, ut apud uos de rebus
ad uestrum officium & Reipublicæ tranquillita-
tem pertinentibus disputem: Tamen æquiores
uos mihi futuros, si et uerecundius quicq;, & de ijs,
in quibus uiuo studijs dicam, non dubito præfer-
tim cum me, ut id faciam hortetur, patriæ amor,
cui patriæ tantum quisq; quantum præstare uix
potest, debet. Quod qui negant, certè optimæ
altrici pessimam referunt gratiam, quid eã de sese
nihil bene meritam putent, neq; cogitent quamo-
brem in hunc mundum orti sint. Nemo enim
quod præclarissime à Platone scriptum est, sibi
nascitur, sed partem parentes, partem patria, par-
tem amici sibi uendicāt. Idq; quo nos, qui in Ec-
clesia sumus, rectius scimus: eo maiore conatu, age-
mus ut, quod requiri à nobis iussu Dei nouis-
mus, præstemus diligentius & perfectius. Deum
enim uelut fontem intueri debemus, cum quod-
cunq; uel parentibus, uel patriæ, uel Reipub: uel
Ecclesiæ, uel alijs præstamus. Hoc mihi semper
magis in uotis fuit, quam aut ostendere potuerim,
aut in tota uita me probaturum confidam: Quæ si
A ij omnium

omnium esset sententia, multo melius de genere hu-
mano ageretur, feliciores essent passim Respubli-
cæ, multo etiam tranquillior Ecclesia. Verum cum
pauci aut cogitent unde sit mediocris status Re-
rumpublicarum & Ecclesiæ, aut cum sciant eum
non adiuuent, ita fit, ut miseræ ubiq; superent, sint
miseræ Resp. calamitosa Ecclesia. Si itaq; his de re-
bus diligentius, ut quidem debeamus, inquiremus;
animaduertemus in Rebusp. omnis generis erum-
nas ex Cyclopica uita, Cyclopicam uitam ex con-
temptu legum, contemptum legum ex barbarie, bar-
bariem ex inscitia honestarum artium & discipli-
narum oriri. Ac uicissim quantam uenustatem
hæ artes pariunt, quantamq; ciuilitatem? Ciuili-
tatis ex hisce fontibus scaturiens, honestæ uitæ, hoc
est, humanæ & cum ratione consentientis firmissi-
ma fundamēta iacit morum integritate obseruata,
consilia & sunt per se rectiora & feliciores diuini-
tus sortiuntur euentus. Qui enim eorum conatus
feliciter succedunt, qui aliquid non annuente deo
moliuntur? Quid uero ñ fauente uelint numine,
qui se impietati, suis libidinibus & fædis uolupta-
tibus dedant? Quod qui faciunt, ut plurimi sunt
qui faciunt, disciplinas has oderunt cane peius &
angue; arbitrantur eas sibi carcerem esse. Vicissim
qui eas amant uelut à Deo profectas, & hominum
mentibus ab omnium rerum opifice inditas, hu-
manitati se & honestis officijs dedunt totos, nihil
aut

aut sui commodi aut uoluptatis causa committentes. Postea uirtutis studiosi cum sint & ducem rationem sequantur, in consilijs nonne omnia inquirant, perspicient & inuenient rectius? Proinde quod rectissime & preclare ab eodem Platone scriptum est merito à Latini eloquij parente celebratur: Tum demum fore beatas Resp., si qui eas regerent studijs sapientiæ probè exculti essent, aut qui has artes cognouissent ad earum administrationem accederent. Testantur & historiæ felicissimos quosq; monarchas, Imperatores, principes ac gubernatores aut sapientiæ studijs expolitos fuisse ipsos, aut hominum consilijs, qui eruditione sapientiæq; excelleret, usos. Ita in rebus: si quæ fuerunt diuturniores, ut fuerunt nonnullæ, semper amata sunt studia sapientiæ, uirtutis & literarum, quæquandiu floruerunt, tantisper & harum status integer et felix constitit, nisi si qui abusi summis hisce ac planè diuinis beneficijs in patriæ exitiū conspirarunt & se patriamq; funditus euerterunt, ut sunt plurima καθάρματα, quæ in hoc unum incumbunt diaboli impulsu, ut omnia etiam summa bona in perniciem generis humani omni conatu summoq; studio conuertant. Sed his omissis rei necessitatem atq; usum in se contemplemur. Quid enim est tam bonum, tam præstans aut excellens, quod non malis artibus ad pessimos usus detorqueri possit? Nihil itaq; decedit artibus nostris,

A iij etiam si

etiam si qui eis improbitate ingenij abusi sint alia
quando: Imo uero hæ sunt conferuatrices pacis &
omnis prosperitatis in Rebus, ut preclare cecinit
Callimachus: eam felicem esse Rempub: in qua de
uertice Appollinis unguentum stillent beatissimū,
id est, in qua bonæ literæ excolantur & in honore
sint. Sic enim inquit,

εἰ δὲ κόμοι θυόεντα πέδω λείβουσιν ἔλαια,
δὴ λίπῃ ἀπόλλωνος ἀψάρισσιν ἔτι ποτὲ
ἔλλ' αὐτῶν πανάκασιν ἐν ἄσφ' ὡκερ ἐκείναι
πρωῶνες ἔραζε πείσασιν ἀκίρια πάντ' ἐχθρόντο.

Cæterum si quis etiam animo suo Ecclesiæ hi-
storiam contempletur, uidebit inde usq; ab initio
mundi in eadem sede orbis terrarum cum doctris-
na arcanæ DEI sapientiæ unâ studia politicorum
artium floruisse, uidebit etiam quam primum hæ-
rum scaturigines obstructæ fuerunt, statim & si-
mul lucem coelestis doctrinæ euanuisse. Huius
etiam illæ non aspernanda sunt adminicula quæ
DEVS talia esse iubet. Sed, ut cætera regna iam
præteream, quis neget eloquentiæ, cognitionis re-
rum naturalium & cæterarum omnium scientiam
fuisse eximiam in Iudæa, in Græcia, in Italia? Iam
uero quid simile est? Vno eodemq; momento ue-
ra relligio et artes labi ceperunt in Iudæa, ea uero sub
seruitutis iugum redacta est tristissimum, ut ne po-
liticæ uestigium ullum ibi fuerit ad annos mille
quingentos. Collapsæ sunt simul Scholæ & Ec-
clesiæ, quam ruinam quanta quæso & quam atro-
cia

cia mala consecuta sunt: quanta uastitas: quanta
barbaries: De Græcia manifestius est: Hæc reti-
nuit ueram doctrinam de agnitione & cultu Dei
plures annos, tantisper, dum expoliebatur etiam
honestis disciplinis. Id uero facere ad Ecclesiæ emo-
lumentum, & fulcire eam doctrinam, callidè ani-
maduerterat Iulianus Apostata, eaq; de causa im-
peratorio decreto statuerat, ne filij Christianorum
in publicis Scholis alerentur: Conficimur enim,
inquit, nostris pennis, Satis astutè, sed male ipsi con-
siliū cessit: Hac enim sua impietate & se in exiti-
um & pœnas præcipitem dedit & alios maiori a-
lacritate ad excolenda studia atq; propaganda in-
cendit, quarum rerum commemorationem altius
repetere hoc loco superuacaneum est. Quam mi-
sera quam ærumnosa iam est facies Græciæ: ea ne
Græcia iam quidem est. Erat hæc olim summas-
rum artium & uirtutis quasi & mater & nutrix,
sed stabulū est hodie immaniū latronum, qui ad
uirtutis aut artium nomen, sæuiunt furentius, & su-
am illam barbaricam potentiam etiam in nos ex-
tendere conantur, quod breui futurum esse non o-
pus est ut uates nos doceat: ipsi quas simus meriti
pœnas, & quas quotidie mereamur scimus, quid
impendeat uidemus: nec de remotiore specula hæc
tanta mala perspicimus, sed ea ita uicina, ut pro-
piora esse non possint, ob oculos posita habemus.
Quid commemorem recentissimum exemplum
Liuniæ:

Liunionæ? Vbi si pro poculis artes honestæ tractatæ fuisset, si pro libidinibus exulta pietas, iam Liunionij & sapientiæ & religionis fructus meterent amplissimos. Etsi autem sine dubio ibi uera Ecclesiæ membra fuerunt plurima, tamen uicit uoluptas, palmam obtinuit impietas. Quanta uero mala consecuta sunt. Mossynocci maiori ibi sæuitia, quam de Turca quicq̃ narratur, grassati sunt. Quid memorem incensa & uastata omnia? exigua est & propè nulla eiusmodi rerum in tanto discrimine iactura? Multa hominum millia abducta sunt, distractæ in uarias terras familiæ, multi sæuissime trucidati, multi uenditi, sæuitum est in senes præcipue, in grauidas fæminas, in infantes, atq̃ eos quoq̃, qui in hanc lucem nondum prodierant; grauidæ dissectæ plurimæ, fætus exemptus & ita cruentus cruentis manibus cõtumelia affectus est, ac reliqua referre pudor prohibet: interfectorum cadauera mutilatim dissecta in syluis ad arbores suspensa, atq̃ hæc laniena per longioris etiam uia spacium conspici potuit. Utinam uero omnes alieno periculo sapiamus, sic Scholarum & Ecclesiarum longe melior sit conditio: Sed proh dolor ut uitam impiam, alienam à sapientia & humanitate agimus, ita similes impendere nobis ac in foribus esse pœnas certissimum est. Quod uero aliquid retinetur hactenus modestiæ, aliquid pietatis, quodcunq̃ deniq̃ illud est: magna certè debetur illis gubernatori

bernatoribus gratia, qui Scholarum & Ecclesiæ
patrocinium suscipiunt. Gratulor autem meę pa-
triæ eam felicitatem, quod & rectè propagatur ibi
doctrina Euangelij, & pueritia in bonis moribus
& principijs artium eruditur, quod, ut credo, ita
opto quam diligentissimè fieri. Vos uero, uiri am-
plissimi, obtestor per diuini nominis gloriam, &
per eam, quam patriæ nemo non optat salutem, ut
quod facitis, curæ nobis esse studia pietatis & lite-
rarum patiamini, ut uestri uestrorumq; ciuium filij
probè imbuantur literis, ut ijs alumnis patrię salus
& felicitas sustentetur. Qua de re quod prolixius
apud uestram prudentiam disputauit, feci rem à
meo officio & studio non alienam: Volui omni-
bus probare, quanti patriam facerem: uolui & gu-
bernatores studiorum, ut patriæ meæ fideliter do-
cendo benefaciant, hortari: uolui & uestros filios
ad has artes amandas colendasq; qui utinam plu-
rimi sint, incitare. His etiam de causis libellum Plu-
tarchi, in quo multa doctissimè de amicicia dispu-
tantur à me Latinè uersum uobis inscripsi, uosq;
rogo, ut hanc uestri ciuis diligentiam & hunc ani-
mum probetis. Quod si, ut spero, impetrabo, im-
petraturus & hoc sum, quod etiam atq; magnope-
re rogo, ut hos meos conatus iuuetis, (ut aliquando
alijs uestris ciuibus neq; defuistis neq; deestis) qui-
bus hoc unum ago, ut sim ornamento patriæ, ei-
dem multisq; alijs usui: qua in re cum multum uos

B uestra

uestra ope præstare possitis, id uos facturos esse
confido. Quod si feceritis, me patriæ in perpetuum,
cui tamen antè omnia debeo, deuixeritis. Vale
lete uiri amplissimi. Datae Vitebergæ.

Anno 1559. 13 Cal: Augusti.

Vestrae Prudentiæ

etuis & seruis

Ioh: Cheselius Poëta

Laureatus.

INTERPRETATIO LIBELI

si Plutarchi cui titulus *περί πολυφιλίας.*

EX Menone Thessalo, qui arbitraretur se satis
iam excellere eruditione, & ut est in uersibus
Empedoclis, in summo uirtutis uertice consistere,
quæsiuit Socrates, quid sit uirtus: Respondet Me-
no temerè & ex tempore, uirtutem esse pueri, senis,
uiri, mulieris, principis, priuati hominis, domini ac
serui: Cui uicissim Socrates, De una uirtute quæ-
situs examen uirtutum concitas, benè coniectura
assectus, hominem multas uirtutes introduxisse,
quòd ne unam quidem nosset, Nonne ad eundem
modum & nobis quis illuserit, quòd cum in nullis
uis amicitia possessione constanter hæreamus,
frustra, ne incauti in multorum amicitiam incida-
mus, uereamur? Propemodum enim iam nobis
adusu uenit, quod mutilo & caeco accideret, qui
metueret, ne centimanus Briareus & oculatissi-
mus Argus fieret: Ac certè præclarum & nunquã
non satis laudatum uerbum protulit adolesce-
ntis ille apud Menandrum: Dici non posse, quantum
bonum putandum sit, si quis uel amici umbram
habeat. Verum huius rei causæ eum multæ altæ
sunt, tum inter præcipuas & hæc est, quòd multo-
rum se plurimi amicitiosis irretiunt, Quem ad-
modum lasciuæ fæminæ, quòd & sæpe & cum
multis conuersentur, priores ne possint quidem te-
neri sed paulatim negligunt & excutunt: po-

B ij tius

us uero quemadmodum Hypsipylæ alumnus in
pulcerrimum pratum collocatus, modo hos, mo-
do illos, quos eligeret, decerpfit flores, quod ea ua-
rietate caperetur, hac re infantiam, quæ quid ex u-
su sit, non perspicit, prodens: Ita & nobiscum fit,
ita natura sumus nouitatis auidi & facile priori-
bus rebus exaturamur, ut facile est eiusmodi iter et
obuium floretum, ut sepe & inconsideratè quid co-
nemur, subinde nouas amicicias familiaritatesq̃
queramus, inconstantem amorem modo in hunc,
modo in illum declinemus, alios subinde repudi-
emus. Primum itaq̃ à fama, quid illa nobis reli-
querit, ueluti à uestibulo inchoemus, longumq̃ ac
priscum æuum in testimonium producamus &
consulamus, quo numerantur hæc tantum paria
amicorum, Theseus & Perithous, Achilles & Pa-
troclus, Orestes & Pylades, Phintias & Damon,
Epaminondas & Pelopidas. Iis enim legibus co-
actata est amicicia, ut non magnam turbam ad-
mittat, neq̃ graculorum gregatim uolitantium
instar sit: sed iubet, ut bonus alterum amici loco
habeat & amici compellatione salutet, ut se alte-
rum, nec quenquam è dualitate excedere patitur.
Nec enim aut seruos aut amicos plures exigua
moneta acquirere nobis licet. At quenam putabi-
tur esse amicicia moneta? Beneuolentia & Gra-
tia cum uirtute coniuncta, quibus nihil rarius ha-
bet natura, unde fit, ut amare & amari nequaquam

in multos sese extendat. Sed quemadmodum flu-
uij in multos alueos, multaq; brachia deducta, mi-
nores existunt & exilius fluunt; sic mens amore in
multos diffusa magis magiscq; obscuratur. Ea de
causa ardentior amor est animantibus erga partū,
quibus is unicus, quam quibus est copiosior so-
boles. Propterea & Homerus unicē carum fili-
um tantum uocat. τὸν ἀγέτορ, hoc est, parentibus eo
tempore natum, cum neq; haberent alterum, nec
se alterum habituros sperare possent. De amicis
non ausim dicere, ut unicus is solus sit, sed præter
cæteros τῶν ἀγέτορ quis sit, exploratusq; tempore re-
ceptus, qui cum, ut dicitur, modium salis insumse-
rimus; Non eo modo eaq; leuitate plurimos in ne-
cessitudinem recipiamus, ut hodiē multi alios è
diuersorio, palæstra uel foro in amiciciam adscia-
scunt, cum quibus semel aut biberint, aut globo lu-
serint, aut deuerterint. Porro sunt plæricq;, qui in
felicibus habent diuites & duces, quod in horum
ædibus plurimum turbarum & strepitus salutan-
tium, dextras porrigenitum & hastas ferentium uī-
deant: Videas uero etiam eorundem culinis
plures insidere muscas, sed neq; hæ sublatis
escis, neq; illi fructu demto manēt; quandoquidem
ad ueram amiciciam tria potissimum requirun-
tur: uirtus, ut primum bonum: consuetudo, ut ius-
cundum: usus, ut necessarium. Quem enim
perspectum & cognitum habebis, in amiciciam re-
B iij cipies:

eius amico recepto delecteris: eoque, si quando
necessitas exigat, utaris, quæ omnium cum multo-
rum amicitia pugnans, in primis uero, quod in his
principem obtinet locum, censura uidelicet. Non-
ne difficile est breui tempore experiri, aut saltati-
onum studiosos plurimos, aut remiges, aut dome-
sticos seruos, aut eos quibus procurandam pecu-
niam demus, aut eos quibus filios erudiendos com-
mittamus? Quanto erit difficilius multos ex-
plorare amicos eiusmodi, cuiuslibet fortunæ ita ex-
positos, ut eorum quisque cum possit esse ex omni
parte felix, se in medium conijciat, & non agerri-
mo animo particeps sit alterius calamitatum. Ne-
que enim tot exponitur in mari tempestatibus na-
uis, neque ullis turribus, mœnibus aut aggeribus,
quibus aut loca aut portus muniunt homines, ita-
tum imminet periculis: quantum ueræ amicitia,
quod certum promittat amico confugium & auxi-
lium amicitia rectè & constanter probata. Inu-
corum uero non probatorum & leuitate sua dis-
fluentiũ societate se alij exutos gaudent, alij ut se ea
exonerent amittuntur. Sunt enim hi uelut adolte-
rines monete ab indice condemnare. Et tamen dis-
soluta nulla ex parte facilius euitare, & magis de-
ponere ingrati amicitiam. Sed quemadmo-
dum perniciosum cibum & molestias tibi exhibi-
bentem neque continere potes, quod ab eorum uari-
etudini periculum imminere statuas, neque

in
cipies

B. II

in

ut attraxisti, sed nauſea bilisq; peſmiſſum euomere
cogeris: Sic malus amicus: aut tecum uerſabitur
te ſeq; ipſum maerore conficiens, aut cum inimici-
cia & animi laſione ut bilis abijciendus erit. Quae-
re ſummo ſtudio curandum eſt, ne quorum liber
neceſſitudinem captemus aut admittamus, neq;
quicunq; noſtram amicitiam expetunt, amemus
omnes, ſed potius, quos amicitia dignos compere-
rimus, nobis conciliare ſtudeamus. Omnino e-
nim non arripiendum eſt, quodcunq; in procliu-
eſt. Etenim caprificum & rubum, qui paſſim ob-
uij ſunt fructices, praetergredimur & declinamus,
ut ad oleam & uites accedamus: Sic nequaquam
probandum eſt, ſi qui ſe conſuetudini eorum, quos
apprehendere facile eſt, addunt, ſed uiros laude
dignos & praſtantes, ſpectataeq; fidei ſectemur.
Quemadmodum enim Xeuxis cum reprehende-
retur, quod tardius pigeret: Fateor, inquit, tardius
me picturas meas conficere, mihiq; eõ opus eſſe
longo tempore, ut longiori durent & celebrentur:
ſic ſtatuo amicitiam familiaritatemq; diuturni-
orem fore, quae iudicio ſuſcepta ſit. Caeterum ui-
deam qd cu diiudicare multos amicos difficile ſit, ſit
ne facile cum multis conuerſari, an uero & hoc fieri
nullo modo queat. Equidem conſuetudo ma-
gnam uoluptatem adfert: Quid enim ſit iucundi-
us, quam cum amicis conuerſari & uiuere? Nam
ut eſt apud Homerum: *ἡμετέροις φίλοις ὄντα*

Non

Non equidem dulci dum uitæ uescimur aura,
Concilijs interesse iuuat, nisi fidus amicus
Assideat fido lateri, curasq; gubernet.

Et de Vlyffe Menelaus inquit.

Nulla prius nostri dirimet res foedus amoris,
Quam me fata prement miserum, lethiq; caligo.

At in ea amicicia, quæ se in multos extendit,
contrarium fieri uidetur: Vera namq; amicicia col-
ligit, cogit, & continet in se amicos conuersione
& humanitate,

Dulce uelut si quis bellè lac cogat in unum,
iuxta Empedoclem: eiusmodi inquam concordia
am & mentium coagmentationem hæc requirit:
Sed ea, quæ in multos diffusa est, discernit, discer-
pit, auersatur, quod animum alias ad alios uocet
et transferat, nec patitur eiusmodi coniunctionem
atq; conglutinationem beneuolentiæ fieri famili-
aritate firmatæ & coagmentatæ. Facit & ea res,
ut nequaquam rectè officium nostrum amicis pro-
bare possimus: offundit & nobis subrusticum pu-
dorem. Cum enim alius alijs sint mores, alius alijs
curis detineatur, ita fit, ut quæ in amicicia essent
utilissima, in ea, quæ in multos spargitur, nullius sit
usus. Neq; enim per naturam omnes ijs rebus af-
ficimur, neq; eadem est semper omnium fortuna,
quin & negocia, eorumq; euentus, non secus ac uen-
torum uis, alijs quidem feliciter cedunt, alijs repu-
gnant. Ac si omnes ijsdem simul rebus egeant, gra-
ue

ue foret satisfacere singulis, seu super re aliqua con-
siliū capiānt, seu gubernatione occupati sint, seu
honores affectent, seu conuiuio familiares excipi-
ant: Sin amicos complures negocia & casus in di-
uersum trahant, teq; simul ad se inuitent singuli,
alius nauigationi accinctus, te una ut peregrinatio-
nem suscipias hortetur, reus, ut in tribunali sibi ad-
sis: iudex, ut una iudicium exerceas: emtor uendi-
torue, ut negociationibus te simul dedas: sponsus,
ut sacrum nuptiale celebres una: alius qui suos se-
peliat, ut una lugeas: omnibus certè te dare nequa-
quam poteris, quod etsi omnes intelligunt, tamen,
cum unī commodos, cæteros omnes offenderis.
Neq; enim quisquam est, qui, si cum alterum dili-
gat, negligatur ipsū nō sit egerrimo anīo laturus.
Est itaq; hæc multitudinis amicicia ueluti ciuitas, in
qua simul multa celebrantur sacrificia, alia læta, a-
lia tristia. Si alioquin amici inertia neglecti sint,
id ferent lenius, quam si se hac excusatione tuea-
tur. Dicat quis, tibi adesse in iudicio nequiuī, quod
alteri adfuerim: dum febrī decubuisti, inuisere te
non potui, quod alterius amici conuiuī interfue-
rim: his uerbis profecto non tollet, si quid amicum
læserit, sed æmulationem accendet citius. Vulgus
autem quid ex amicicia capere possit spectat so-
lummodo, neq; meminit quid uicissim præstan-
dum sit, quodq; is, qui in suos usus multorum offi-
cījs utitur, singulis suum uicissim debeat. Quem-
C admodum

admodum ergo Briareus, cum centum manus ad
quinquaginta uentres ferret, nihilo plus habuit,
quam nostrum quispiam, cum duabus manibus
seruire uni uentri debuerit: Sic ex pluitimis amicis
plurimum quoque hauriemus commodi, sed ipsi
rursum plurimum atque tantundem debebimus.
Nec enim, quod iubet Euripides faciendum est:
Mediocre[m], inquit, oportet inter homines inten-
dere amicitiam, non ad imas medullas animæ, ut fa-
cile soluantur delinimenta mentium: oportet et-
iam prout necessitas postulare uidebitur laxare uel
contrahere, quemadmodum nauis, ut uenti sese
dant, gubernanda est. Sed, quod dicis Euripides,
potius ad inimicitias transferamus, & iubeamus
uel moderatæ sint dissensiones, necque pertingant ad
intimas animæ medullas, iubeamus, ut facile dissol-
uantur odia, iræ, querulationes atque suspiciones.
Idque grauius nos monet Pythagoricum dictum:
Ne omnibus iniicias dextram, hoc est, ne multo-
rum aut quorumcunque te amicitijs implices, qua-
rum plurimas non nisi cum summa animi mole-
stia & difficultate tueri possis: molestissimum
enim est liberalibus & ingenuis in hisce commu-
nes ferre labores, sentire dolores, communia susti-
nere pericula. Verissimum quoque est, quod Chilo di-
xit: Huic cum quidam narraret, sibi nullum inimicum
esse, respondit: Videris uero tu mihi necque amicum
habere. Inimicitia enim continuo amicitias exci-
piunt

piunt, si quis sit amicus, quem alij iniuria afficiant, quem calumnientur, quem oderint, hec omnia etiam ad te pertinent. Eiusmodi inimicorum contemptus, & odia manifesta sunt, sed & ipsi inter se amici latenter saepe inter se inuident, æmulantur, & rodunt. Quemadmodum igitur Timesiæ oraculum de colonia prædixit, Melleficis apibus si quando aluearea repleas, Impia continuo fucorum examina crescunt:

Sic quicumq; turbas amicorum quærunt, uel parum examini se immiscent. Neq; æquam lancem trahunt inimici malevolentia & amici gratia, Quod facile è sequentibus animaduertes: In amicos & domesticos Philotæ & Parmenionis sæuist atrociter Alexāder, in amicos Dionis, Dionysius, in amicos Plyntæ, Nero, In Seianis partibus addictos Tiberius. Vt enim Creonti neq; aurum neq; opes filie proderant, sed incendium eum accurrentem & compræhendentem exussit repente: Ita nonnulli amici non fruuntur suorum amicorum felicitate, sed cum iisdem iam fortuna in deterius prolapsa simul pereunt, atq; id maximè euenit philosophis & excellentissimis uiris, ut Theseus, socio Perithoo ad pænas raptò & uincto, se amici calamitati socium adiungit, & uinciri uult. Thucydides, cum de peste scribit, eos cum primis plurimos, qui maximè uirtuti studerent, cum amicis laborantibus perisse, cū sibi non parcerent, sed ad ami-

cos accederēt propius narrat. Mihi uero nō com-
mittendum uidetur, ut quis nullā suā uirtutis hoc
modo rationem habeat, sed censeo hanc consuetu-
dinem solis dignis conseruandam esse, hoc est, qui
& pariter amare, & communicare tecum omnia et
uelint & possint. Etiam & hoc maximē aduersa-
tur multorum amiciciā, quod sincera & casta ami-
cicia ex similitudine procreatur. Cum enim ani-
mātia expertia ratiōis, nullā habeant cū alijs cōsue-
tudinem nisi coacta, molestēq; ferant, quod à sui si-
milibus distrahantur, sed rursus cum cognatis
suiq; similibus uersentur cupidissimē: qui fieri pos-
sit, ut inter eos uera contrahatur necessitudo, quos
uitæ genus morumq; diuinitas disiunxit? In car-
minibus & fidibus ex uocibus diuersis consonan-
tia harmoniam parit, orta uidelicet conuenientia
ex acutis & grauibus: amicam harmoniam eius-
modi non esse conuenit: In hac nulla dissimilis, nul-
la regulam uiolans, nulla fūco tincta pars existat:
sed omnium tanta sit similitudo, ut eadem sit mens
idem consilium, eadem in iisdem periculis perfe-
rendis fortitudo, ac si una sit anima in plura distri-
buta corpora. Quis autem hominum est ita to-
lerans omnium ærumnarum? quis ita uariis?
quis ita in diuersas partes rapi potest, ut pluribus
seipsum aptare, & plurium moribus totam ui-
tam conformem inducere possit? Quis uero non
derideat quod iubet Theognis,

Mente

Mente tua Polypum sequitor, qui forsan adhæsit
Cui lapidi, simili quemq; colore refert.

Quin & hæc Polypi uariatio non penetrat
ipsam naturam piscis, sed tantum in superficie fit,
quæ tantum rerum propin quarum colorem indu-
it. Contra uero in amicicijs hoc requiritur, ut mo-
rum sit similitudo, ut ijdem affectus, ijdem sermo-
nes, eadem exercicia, ijdem conatus. Id certè Pro-
thei cuiusdam foret infelicis & improbi, qui mira-
bilibus præstigijs seipsum ex alia forma in aliam
transferat in seipso sæpius, qui cum doctis dispu-
tet, cum palæstitis luctetur, cum uenatoribus ue-
netur, cum pоторibus heluetur, cum guberna-
toribus Remp. administret, nihilq; proprium in
suis moribus obtineat. Vt autem Physici unam
aiunt esse informem, sine colore essentiam et mate-
riam subiectam, quæ modo in ignem, modo in a-
quam, modo in aërem, modo in terram conuertat-
tur: ita in multorum amicicia animam affectam
esse oportebit, quæ ita sit humida & facilis, ut se o-
nium affectibus & moribus applicet. Sed ea, quam
solam ueram docuimus esse, constantes, firmos, ac
ne uno quidem loco & consuetudine excedentes
mores postulat: Qua re fit, ut rarissimum quid-
dam sit, ac inuentu difficilimum uerus et constans
amicus.

F I N I S.

PHILIPPVS MELANTHON


THOMÆ HVBNERO S. D.

NONDubium est salutare principes diuinitus
& dari & regi: Quare à DEO petamus præ-
fertim in hac languida & delira mundi senectâ, ut
his regionibus, in quibus Ecclesiarum niduli sunt,
det bonos gubernatores & custodes: Sed tamen
hoc quoque uult DEVS, rectè erudiri & præpa-
rari teneras mentes eorum, quibus genus aditum
ad gubernationem præbet. Hanc igitur felicita-
tem gratulor principi tuo, qui te ductorem habet,
qui rectè formas ipsius iudicium, & eum ad amo-
rem doctrinarum & uirtutis accendis. Oro etiam
DEVM sapientiæ fontem, ut tuos labores ad-
iuuet. Semper familia tuorum principum laude
sapientiæ & eloquentiæ excelluit, & res maximas
in imperio Germanico consilijs rexit. Quare &
indolem ad idem decus in tuo auditore præclarum
esse existimo. Amabit igitur hæc nostra studia
& propterea nostro gregi fauebit. Hanc ipsius uo-
luntatem confirmari à te non dubito. Me igitur
& alios, qui Reipub: mediocriter seruiunt in pro-
pagatione literarum ipsi commendato, inter quos
commendari uolo & Cheselium, cuius & natura
est excellens, & non tantum ijs uirtutibus ornata,
quæ diligentia nostra parantur, sed etiam alijs ma-
ioribus, quæ diuinitus in bonis mentibus accen-
duntur, & eruditio tanta est, ut in utraq; lingua
Græca

Græca & Latina, eruditam antiquitatem feliciter
imitetur & ad hæc studia adiunxerit Philosophi-
am & Ecclesiæ doctrinam. Quare eum magno
usui & ornamento Ecclesiæ futurum esse spero.
Talia ingenia sapientes principes propter utilita-
tem publicam, & eligere & ornare ualde prodest.
Bene Vale cariss; Hubnere.

Vitebergæ.

Anno 1558. Cal. Sept;





INTERPRETATIO LIBELI

ii Plutarchi cui titulus περί πολυφιλίας.

EX Menone Theſſalo, qui arbitraretur ſe ſatis
iam excellere eruditione, & ut eſt in verſibus
Empedoclis, in ſummo uirtutis uertice conſiſt
quæſiuit Socrates, quid ſit uirtus; Reſponde
no temerè & ex tempore, uirtutem eſſe pu
uiri, mulieris, principis, privati hominis
feruit: Cui uiciffim Socrates, De una
ſitus examen uirtutum concitas, h
aſſecutus, hominem multas uirtu
quod ne unam quidem noſſet
modum & nobis quis illuſeri
us amicitiaẽ poſſeſſione
frustra, ne incauti in mul
mus, uereamur? Pro
adulu uenit, quod
metueret, he cent
atus Argus fier
non ſatis laud
ille apud M
bonum p
habeat
ſunt
u
cipuas & hæc eſt, quod multo
amicitijs irretiant, Quemad
æ feminæ, quod & ſæpe & cum
ſentur, priores ne poſſint quidem re
paulatim negligunt & excutunt; po
B ij tius

